

scribere velis, iusto ordine ponantur ob oculos. Deinde dispiciatur, habeantne inter se aliquid commune, an plane dissimilis sint nature. Id enim dabit elegantem connexionem. Prima connectendi ratio vocatur *verbalis*; altera vero *realis*. e. g. Si duæ propositiones, *gratulor de dignitate magistri, & refero patris mortem*, essent coniungendæ; connexio realis hoc modo fieri posset, accedente tertia propositione a rerum mutatione desumpta: *quum fama ad aures meas peruenit, summis te sapientiæ humane priuilegiis fuisse ornatum; propter amicitia munus, quo vterque nostrum communiter utitur, de amplissimo hoc litterarum tuarum fructu tibi gratulor, ac precor, ut deus hanc dignitatem fortunare velit. Sed quam varia rerum nostrarum est fortuna: etenim tibi gratulandi habeo rationem, mors autem patris mei maximum mihi attulit dolorem, in cuius partes pro singulari tuo amore non potes non venire.*

VI.

In epistola selecta, quæ nimirum ^{Unica} ad patronum mittitur, vel typis impri- ^{propositio} mitur, aut in qua vnâ propositionem ^{epistole} pertractare placet; non sufficit, paucis ^{est ampli-} eamdem indicare, sed dicto themati, to- ^{ficanda.} tique adeo scriptioni succum quasi ac sanguinem rationes & illustrationes largiantur.

VII.